

Országos Rabbiképz. — Zsidó Egyetem Könyvtára

80

Kon. 9. 60

I - II.

R/4

79

Ch 1029

11






nka
Nemzeti Kulturális Alap

nka
Nemzeti Kulturális Alap

לחן המנון
המנון המדינה
המנון הצהרונאי
המנון הצהרונאי



En ubi concordia spirat certamine quicquid
 Christicolamq; facit, Theologumq; facit:
 En ubi cum Vita Doctrina et Suda, nec ullus
 Fit nimius, nimius sit licet ille, labor.
 Hunc ita Pax non-pax Victorem sentit ut hostem:
 Hoc Pagana sibi Vindice monstra timent.
 Barth: Hofffer pinx.

Sic Dannhaveri revivivi est Gloria Bebel:
 Et Templi, et Cathedrae, et Gentis, et Urbis Honor.

Via de Tanto Viro, Doctore, Patrono, Hospite
 suo longe meritisimo cum Bonis omnibus pie
 sentit Joannes Baltasar Ritter, Th. St.

Országos Rabbiképz.

Philipp Kilian sculpsit.

ANTIQUITATES ECCLESIAE

in tribus prioribus

post natum CHRISTUM Seculis,

EVANGELICAE

Et

Hodiernae ὁμοψύχου,

quibusvis Heterodoxis, modernis praesertim,

Oppositae:

STUDIO ET OPERA

BALTASARIS BEBELII,

S. Theol. D. ejusdemque Prof. Publ. Ordinarii,

& Ecclesiastis in Universitate & Ecclesia

Argentoratensi.

G. L. Veder.



ARGENTORATI,

Sumptibus GEORGII ANDRAE DOLHOFFII,

& JOANNIS EBERHARDI ZETZNERI

ANNO M. DC. LXIX.

Zsidó Egyetem Könyvtára



SERENISSIME PRINCEPS!

LEOPOLDO
LUDOVICO
COMITI PALATINO RHENI, BA-
VARIAE DUCI, COMITI
VEVENTINAE &c.

Principi ac Domino suo
Clementissimo

Nterroga generatio-
nem pristinam, & diligenter in-
vestiga Patrum memoriam (He-
sterni quippe sumus, & ignora-
ramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt
super terram) & ipsi docebunt te, loquentur ti-
bi, &c.



bi, & de corde suo proferent eloquia: Ita mo-
net ille, juxta LXX. ὁ Σαχάϊων τύραννος Bildad apud Jobum, quem solaturus venerat
cap. VIII. 8. 9. 10. Controversia ipsi erat
cum illo suo vicino & amico, de guber-
natione divina, justa illa, an injusta esset?
Videbatur Jobus querelis suis isti derogasse:
questus enim fuerat de calamitatibus va-
riis, quibus DEUS suos quoque obsequio-
sos liberos flagellaret: Bildad igitur DEI
quasi causam acturus, increpat querulum,
& negat injustum esse DEUM, qui hoc or-
dine uteretur: Idque ut obtineat, ad ve-
terum provocat monumenta, qui idem de
DEO censuissent. Repeti jubet ab atavis
usque temporum omnium memoriam ul-
timam, & ipsos in consilium adhiberi cu-
pit, quippe qui longa rerum experientia plu-
ra didicissent, quam ipse, & alii, qui tum
breviore vitæ spacio uterentur. Johannes
de Pineda Jesuita colligit inde, apud illos vi-
guisse traditiones aliquas ad fidei & morum
doctrinam spectantes, quæ semper apud Fide-
les

) 3 les



les summa veneratione suscepta & conser-
 uata fuerint, contra quam nostri temporis here-
 tici nugentur. Nugator ipse, qui nescit di-
 scrimen inter traditiones Sacris literis con-
 gruas, quales Euangelici (quos ipse per ca-
 lumniam Jesuitis solitam *hereticos* crimina-
 tur) minimè repudiant, & dissonas, vel et-
 iam contrarias, quales plerasque Papatus
 habet, & exosculatur. Iestas Suhites tradi-
 tiones laudat, erant enim ipsissimum DEI
 verbum, & scripturis vel tum vel postea con-
 scriptis consonum: Laudat enim traditio-
 nem, explicante Jacobo Boulducco Franci-
 scano, *Deum simili semper modo & ordine,*
nunquam suam agendi seriem, formamve per-
vertendo, processisse: quæ talis est, ut iis,
qui ad eum convertuntur, eumq; deprecantur,
auxilium suum impertiatur; & si ali-
quando in ruinam corruerint, eos subleuet &
erigat; illisq; ut plurimum, majorem, quam
antea, bonorum omnium abundantiam lar-
giatur. Comment. in Job. l. c. Annon au-
 tem hæc omnia sunt ipsissimum DEI ver-
 bum,



bum, quod in Sacris hodie literis legimus?
 Num. XXIII. 19. 1. Sam. XV. 29. Pf. XL. 15. CII.
 28. Malach. III. 6. Putavit igitur Suhites, tra-
 ditiones, quas ipsi scilicet! hæretici urgemus
 & laudamus aduersus Pontificios diversas à
 Scripturis amplectentes. Nihilque adeo lu-
 cratur Minorita, etsi non quod pueri in fa-
 ba in hoc Dialogistæ monito sese inuenisse
 censeat: *Nec Salubrius*, inquit in tro-
 pologia, *tutiusq; remedium contra Neotericos*
errores & adnascentes hæses, quam veteris
Patrum doctrinæ memoria: ut patet ex his A-
postoli verbis ad majores & seniores Ecclesie
habitis Actor XX. 30, 31. ex vobis ipsis exurgent
viri loquentes peruersa, ut adducant discipu-
los post sese, propter quod vigilate, memoria
retinentes, quoniam per triennium, nocte
ac die non cessavi, cum lacrymis monens
unumquemque vestrum: Ita docent omnes
Patres. Nihil, inquam lucratur Boulduc-
 cus, sed nos in nostrum usum verba accepta-
 mus. Si quæ nova dogmata vel cultus in Ec-
 clesiam invehantur, examinanda isthæc
)))) erunt

erunt ad veterum Patrum doctrinam & cultus: sed quorum? dubio procul talium, quales laudavit Suhites, ex cuius verbis Minorita sententiam suam derivavit: Laudavit autem iste Patres & traditiones cum sacris literis idem prorsus sentientes, quod ex ipso Boulducco ostendimus; & tales etiam putat Paulus Apostolus: Nam vult memoria teneri, quæ ipse pridem docuisset; nihil autem ipse docuerat præter Mosen & Prophetas, quorum scripta supererant. Actor. XXVI. 22. imo id ipsum, quod docuerant ore, etiam scriptis comprehendebant, Apostoli 1. Joh. I. 1. ad seros usque posteros transmittendum. Age jam Boulducce, examinemus vestras, quas jactatis, traditiones de fide, cultu, & moribus, ad Patres sacrarum literarum conditores, vel eos, quos ipsi rerum credendarum & faciendarum exempla nobis commendarunt, & exploremus, qui sit inter vos & istos consensus?

Amplius progredior, comparemus quæcunque hodie sive nos, sive vos, sive alii hetero-

terodoxi, docemus in re divina, credimus, facimus, ad scripta etiam eorum patrum, qui post consummatum canonem in Ecclesia primæ Christianæ subsequa viguerunt: Dicant illi sententiam, utra pars genuina ipsorum soboles sit, quæve adulterina. Interrogentur autem genuini Patres, sicut in superstitibus scriptis incorruptè loquuntur: quo fine in hoc nostro libro primum locum tribuere volumus scriptoribus Ecclesiasticis, & examinare, quæ ipsorum legitimi, quæque supposititii, vel certè dubii fœtus essent. Deprehendes SERENISSIME PRINCEPS! non unum, sed plures; non minorum, sed majorum gentium Patres, qui ipsorummet Pontificiorum sententia non sunt auctores pleorumque monumentorum, quæ tamen ipsi adversarii adversus nos solent in acie collocare. Sint autem genuini scriptorum Patres; videbis tamen, ubi pro Roma non pronunciant, securè sperni, & contemptum haberi. Taceo minimam ipsorum partem superesse, si cum deperditis comparaveris:

) () 2

Et




Et qui supersunt, pauciores (si modo ulli) corruptentium manus evasisse.

Alterum articulum dedimus Ministerio Ecclesiastico, quo DEUS utitur in Ecclesia sua colligenda & propaganda; Cavimus autem extrema, in qua adversarii nostri declinant. Sunt inter eos contemptores ministerii, qui nihil discriminis inter DEI & hominis servum agnoscunt, omnes inter sese ordines confundentes, vel certe vim sacri ordinis elevantes, quo tamen DEUS organo utitur in curanda sua Ecclesia & hominum salute promovenda. Sunt deinde ex altera parte admiratores nimii, qui ministerium altiore, quam decet, loco collocant, eximentes ipsum è potestate supremi Magistratus, quem tamen DEUS supra omnes animas eminere voluit. Debetur utique suus Ecclesie ministris honos, propter Dominum cui serviunt; habent etiam suas functiones, in quibus à solo DEO pendent: verbi puto prædicandi, & Sacramentorum, claviumque administrandarum, sed istud ipsorum arbitrium



trium non infinitum est, ut vel pro suo libitu rem sacram faciant, vel mundanam cum ista commisceant, gregi dominaturientes. Si quid tale fecerint, quicumque etiam fuerint, habent non DEUM modo supra se vindicem, sed etiam Ecclesiam, & in hac eminentiorem Magistratum judicem, à quo in ordinem redigantur. Cætera nihil contra officium faciunt, si justam pro labore recipiant mercedem, & rem domesticam adornent, curentque, ducendo uxores, generando liberos, educando, servitia habendo, opes possidendo, & quæ porro res familiaris requirit. Ita hodie de ministerio Evangelici censemus, perinde ut olim de eadem censuerunt cum tria priora post natum Christum secula current. Nam & in his utrumque extremum prudenter declinatum est, media via electa, id quod litera oculis subjecta planissimè demonstrabit.

Postquam expendimus vetustatis de ministerio sensum, progredimur ad organum divinitus ordinatum, verbum DEI in S. lite-



ris. expressum, & eodem, quem controversiæ
requirunt, modo pertractamus. Hodie
proh dolor! eoventum est, ut de principio
fidei potissima lis moveatur Catholicis, nec
hæc à paganis solum, quod non mirandum,
sed, quod merito stupendum & detestan-
dum ab iis quoque, qui Christianorum no-
mine superbiunt: Plerisq; in ore vox est: unde
scis Scripturam esse verbum DEI? Mat-
thæum verbis à DEO subministratis Euan-
gelicam historiam consignasse? Pauli episto-
las non esse à nebulone quodam conceptas?
hoc illi quærunt, vel ut ad Ecclesiam omnis
in rebus fidei auctoritas devolvatur, vel ut ra-
tioni arbitrium credendorum vel faciend-
orum deferatur, vel ut ratio status politici pro
tribunali sedeat, moderando religionem, ut
necessitas reipublicæ poscit, id est, ut ipsa re-
ligio & fides Christiana funditus evertatur;
Huc collimant, saltem in re ipsa, tenebræ,
quas sacris literis offundunt, errores, quos
tribuunt, variæ lectiones, quas scrupulosè
colligunt, diversi sensus, quos communi-
scun-



scuntur, dissensiones Doctorum, quibus dese-
ctantur. Heu quam dissimili à veteri Ecclesia
methodo! Habuit ipsa scripturam pro unico
rerū credendarum principio: credidit eadem
Deo per verbū suum perfectissimum, clarif-
simum, efficacissimum de sese auctore clarissi-
mè testanti; versavit nocte dieque libros sa-
cros, i. e. mediis fidei concipiendæ & fovendæ
usa est, unde exoptatum tulit fructum!

Facto à sacris literis fundamento progre-
dimur ad dogmata, quæ ex ipsis credenda, vel
facienda eliciuntur. Habuit primitiva Eccle-
sia sua credendorum compendia, in quibus
maximè necessaria comprehendebat, iis
credenda & recitanda, qui Christianis sese ag-
gregare, & pro veris membris haberi satage-
bant. Neq; tamen superstitiosè in solis sym-
bolorum & iisdem verbis articulisq; adhæsit,
sed exigente ita Ecclesiæ ratione auxit ea, vel
certè clarius explicuit, si quæ præsertim lites
ab hæreticis moverentur. Distribui autem
ea dogmata possunt in ea, quæ Deum, & quæ
Christum Θεὸν καὶ ἄνθρωπον inter Deum & homi-
nes



nes mediatorem unicum, quæ denique hominem juxta varios suos status concernunt. In tanta rerum credendarum & extricandarum varietate, maxime opus est nexum & feriem probè observare, ne sine fructu legantur apud veteres, & distincta inter sese confundantur. Videbis ex illis dogmatibus in suas classes digestis, quod nullum Augustanæ confessionis socii dogma per universum suæ Theologiæ systema doceant vel credant, quod non apud veteres, qui orthodoxi habentur, fuerit perinde & doctum publicè, & creditum. Interrogatus igitur Lutheranus, ubi locorum sua ipsius ante Lutherum Ecclesia fuerit? Quis unquam ita vel docuerit, vel crediderit, sicut noster Lutherus, Brentius, Chemnitius, Hunnius, Menzerus &c. Respondet, ita & docuerunt & crediderunt in Asia Ignatius, Romæ Clemens, Justinus martyr, Tertullianus; in Galliis Irenæus; Alexandria Clemens Alexandrinus, Origenes, Dionysius; Carthagine Cyprianus, alii, vel dictis vel aliis locis; evolve librum, lege testimonia, expen-



expende sententiam singulorum sine præoccupato animo, Lutheranos extitisse ipsos ante Lutherum juraveris. Neq; turberis, si legeris eosdem patres suis quoq; nævis laborasse; Nam hoc ipsum est, quod Evangelici dicimus, etsi Ecclesiæ præcæ doctores in uno vel altero dogmate ab Evangelica dissentiant, id tamen non tollere ejusdem cum nostra consensus fundamentalem; ut ipsis pontificiis non videtur abhorre à sua Romana, etsi ipsimet in præcæ scriptoribus notent diversas ab hodiernis doctrinas.

Sed & de forma, quam dicunt, externa dicendum erat: Nam & de hac hodie controversiæ moventur. Sunt qui inter haram & aram nullum discrimen faciunt, decori & ordinis otores: sunt deinde, qui luxum habitus & cæremoniarum in Ecclesiam introducunt, atq; ita omnium in sese oculos, aures, animosq; convertunt, ut, quod præcipuum est, & divinitus mandatum negligant, vel certè perfunctorie tractent. Sunt quoq; Epicuri de grege porci, qui honestatem publicam exterminant, & sacra symbola rident, tan-



tanquam inter Satanæ synagogam, & Christi ædem nihil esset discriminis; Ab omnibus his Evangelica Ecclesia in diversum abit, sequuta primævam, quæ decentem sacri gregis œconomiam coluit, imitata DEUM, qui à condita usq; Ecclesia visibilibus quibusdam signis voluntatem suam declaravit, & domum adornavit: moderatè tamen, quod & ipsa observavit; nam sponsam Christi decet ornatus gravis, qui solet esse matronarum; non luxuriosus, quo meretrices superbiunt; incessus quoque decens, qui est virtutum, ut studuit illa adhuc incorruptior virgo honeste, velut in die, ambulare domi, & foris, in sacris & profanis locis.

Ut vero nihil est ex omni parte beatum, sic nec illa Christo suo & Apostolis vicina Ecclesia fuit. Diabolus enim impigerrimus hominum hostis mature cœpit Zizania disseminare per eos ipsos, quos Ecclesia doctores habuit. Irreperunt quædam ex Ethnicismo & Judaismo; Quædam addiderunt hæretici de suo periculosa dogmata; Invecti sunt & cultus à verbo DEI non imperati; perpetrata sunt, quæ à sanctimonia christi-



christiana abhorrebant. Isthæc vero notare volumus, non ut pudenda Noachi revelaremus, sed partim ut pateret, Ecclesiam errare posse: nec statim pro capite fidei obtrudendum esse, quod antiquiores dixerunt: partim ut Puritanorum hypocrisin retunderemus, qui pro Ecclesia non agnoscunt, nisi cœtum, qui sicut in cœlo angeli, defæcatus est ab omni macula peccatorum; ostendant enim illi ullam unquam Ecclesiam, quæ eo pervenerit perfectionis? unde nec caruit Ecclesia suis quoq; calamitatibus; ne enim sibi angelicam puritatem vel innocentiam imaginaretur, permisit Deus hostibus persecutiones, quibus veluti magistris erudita est Christi sponsa, peccata sua agnoscere, & cavere, Deū metuere, pœnitentiam agere, sanctè vivere, & cœlum perpetuo suspirio desiderare. Dicitur hoc in gratiam eorum quoq; , qui Ecclesiæ notam faciunt perpetuam in temporalibus felicitatem; magno certè errore, quid enim fiet de Ecclesia trifeculari, quæ sub Ethnicis persecutionibus per aliquot annorum centurias gemuit & suspiravit?

))((2

Cum



Cum hæresibus quoq; nobis res est: eaq; ideo, quod adversarios non pudet easdem nobis impingere; à sese vero longe longius amoliri. Ut igitur innocentia nostræ Ecclesiæ in propatulo esset, heterodoxa vero in suis sese majoribus agnosceret, hæresiologiam quoq; nostris antiquitatibus inseruimus. Observavimus autem & in hoc negocio ordinem, distincte propositis singularum hæresium auctoribus, principiis, doctrinis, modibus, affectis, adversariis, fatis, remediis, ut quæ prolixè ab aliis dispersa sunt, in unum fasciculum collecta uno obtutu facile & legerentur & auferentur.

Ultimus labor est cum variis adversariis, qui ex testimoniis veterum velut acie instructa nostram impugnant Ecclesiam, suam vero synagogam propugnare allaborant. Disposuimus objectiones juxta seriem articulorum fidei, ut statim inveniri, vel aliis additis augeri possint. Allegavimus præcipuas ex ipsorum scriptis nobis quidem cognitæ; antequam formavimus controversiæ statum, quam responderemus; isto enim veluti compen-



pendio facto pleraq; dissipantur robora nobis opposita, dum plerumque ignorantiam Elenchi committunt, vitium Pontificiis præsertim scriptoribus usitatū. Breviter id studui facere, ne copia fastidiū pareret; simplici stylo, ne Oedipo opus esset; ordine, quo facilius memoriæ hærent; absq; invectivis, ne adversarius ad primum intuitum resiliret; cordate tamen, sicut veritas amat; & juxta hodiernas controversias, ut aliquis eorum usus esset: Huc enim debet studium antiquitatis tendere: publicè; nam duo priora secula literis expressa è valvis conspicienda, & pro cathedra eruditis studiosis ventilanda proposui: Tandem & tertium addidi, & justo libro omnia omnibus promulgavi.

Constitueram equidem mecum nullū sine reliquis seculis usque ad nostra tempora productis in lucē dare publicam, sed erant etiam apud adversarios viri illustres, qui aliud hujus rei fieri exoptabant. Fuit certè Illustrissimus inter ipsos vir, & natalium splendore, & eruditionis præstantia orbi notus, qui ad quendam amicorum meorū venerandum virum,

))((3

hoc

✠ (**)

hoc de scripto meo, cujus priores disputatio-
nes viderat, tulit iudicium literis conceptū:
*D. Bebelii ratio scribendi & succosior est, & ro-
tundior, & genuino idoneorum scriptorum mo-
ri congruentior. Oro ut dispicias, sicunde Ecclesi-
asticam eius historiam consequi licet, tum praci-
puè, si qua eius deinceps prodibunt continente fi-
lo, prout belle cœpta sunt. Nihil hactenus videre
memini hoc in genere pulchrius, distributius, &
tot magnarum materiarum compressione fac-
cundius, quodq; merito longum post se syrma
deposcat, & a vidam mereatur expectationem.*
Sic ille iudicavit, præter quidem meum me-
ritum, Deus tamen etiam per spreta solet ho-
minum animos pulsare, & testimonia verita-
tis extorquere. Pergit amicus noster in literis
ad nos perscriptis: *volebat etiam, ut suo nomi-
ne hortarer, opus hoc amplius urgeri, ut aliquot
seculis absolutis haberet orbis eruditus, quo tam-
diu fruere tur, donec reliqua sequerentur: Suis
(Pontificiis) etiam hoc opus commendaturum
se esse recepit, quod ab omnibus legi dignum judi-
cet.* Hactenus amicus noster in literis anno
1667. die 10. Junii ad nos exaratis. Fateor hæc,
& a-

✠ (**)

& alia stimulum mihi addidisse, ut face-
rem, quod alia dubitabam, imò nolebam
facere. Sub manibus erat historia Ecclesiæ A-
brahamicæ, fere ad umbilicum perducta,
quam Noachicæ subungere volebam, ut
hanc quoq; nobiscū consensisse, sicut prio-
res, ostenderē: sed evictus istis, & aliorū, mo-
nitis istam tantisper seposui, & quantum per
officium meū & alias occupationes licuit, te-
lam historiæ Christianæ cœptæ pertexui, Deo
vitam & secundam valetudinem largiente,
ut in lucem publicam absoluta prodiret.

Quòd verò, SERENISSIME PRINCEPS, cel-
fissimo Tuo nomini dedicare opus sustinue-
rim, causa non una me impulit. Orbis novit,
& imprimis Evangelicæ Ecclesiæ id solatio
est, quo flagres zelo erga Lutheranam, quam
vocant, Ecclesiam & doctrinam. Literis ipse
tinctus es qua sacris, qua profanis, & legisti
IPSE, quæ alii alienis vident oculis vel auri-
bus addiscunt. Et tamen in tanta studiorum
occupatione principali quoq; officio ipse de-
fungeris. Subditis quoq; incorruptū ex Israë-
liticis fontibus liquorem propinandū curas,
& ca-

✱ ✱ ✱


& caves sedulò etiam aliis, ne quis vel lupus rapax, vel hyæna fallax ovile pretiosè emptum deprædetur: ubi igitur majorem quam apud Serenissimum Vestrum animum inveniret gratiam liber hic, qui pro Ecclesia nostra & religione defendenda scriptus est? Accedit propinquior stimulus, qui me audacem esse iussit dedicatorem, nempe singularisilla Vestra Clementia, quæ Venerandum quondam Doctorem Dannhaverum, & post ipsius ἀνά- λυσιν me quoque, humillimum Serenissimæ Domus Vestræ clientem hactenus complectebatur. Recenserem merita, nisi majora forent, quam quæ recenseantur. Omnino tamen tacere nec volui, nec debui, quandoquidem nullas alias pro Serenissima Clementia gratias referre possim, nisi eandem pie agnoscendo, & quoad in viribus est, de- prædicando. Hoc fine, SERENISSIME PRINCEPS, suscipe mentis meæ interpretes Anti- quitates Evangelicas, Tuasq; eas Clementia potentissima & nutu Serenissimo dignare:

SERENITATIS VESTRÆ

ad preces & servitia humillimus Client

BALTHASAR BEBELIVS. D.

Országos Rabbiképz - Zsidó Egyetem Könyvtára



Deo favente

Seculi L. articulus. I.

De

ECCLESIASTICIS HUIUS SE-
CULI SCRIPTORIBUS.

Argumentum.

Scriptorum alii sunt coævi, alii recentiores. Illi vel Christia- ni vel Iudæi vel gentiles. Christianorum alii genuini, alii adulterini. Genuini vel θεόπνεστοι, nempe Scriptores N.T. alii non θεόπνεστοι, e. gr. Barnabas, Clemens, Ignatius. Adulterini sunt, quos recenset Gratianus decernente Gelasio; Adduntur plures sub quorum nomine Epistola, Evangelia, Liturgia, Narrationes, alia circumferuntur. Vfus etiam horum ostenditur; Iudæi sunt Philo & Iosephus. Gentiles sunt Tacitus, Suetonius, Acta, Recentio- rum alii aliis fide minus indigni.

§. I.

Spiritus Sanctus suo afflatu impulit & direxit Apосто- *Scriptores θεόπνεστοι.*
los & Evangelistas, ut res gestas nascentis Ecclesie
Christianæ literis mandarent. Gal. I. 11. 12. Luc. I. 2. 3.
Joh. XXI. 24. Ignatius in epist. ad Philad. §. 14. lau-
dat Προφήτας ὡς Χεῖρον καταγγέλαντας, ὡς τὸ αὐτὸ πνεύ-
ματ' ἔμεταχόντας, ἔ καὶ οἱ Ἀπόστολοι. i. e. Prophetas Christum annunci-
antes, & ipsius spiritus participes, cuius & Apostoli. Et paulo post §. 17. inve-
hitur in hæreticos, qui Evangelia in dubium revocabant, quod in
Archivis non invenirentur *τοῖς ἡ τῶν τοῖς ἐγὼ δὲ λέγω, ὅτι ἐμοὶ ἀρχεῖα ὄντων*
IHS

Ἰησοῦς ὁ Χριστός, ἔπαρρησάσθαι πρὸς τὸν ἄλλοθεν. i. e. Talibus ego dico, quod
 Jesus mihi pro Archivo est; quem nolle audire (in Θεοποιήσεως scriptis) ma-
 nifesta pernicies est: & mox: ὁ ἀπιστῶν τῷ Ἐυαγγελίῳ οὐδὲν ἐμὲ ἀπιστεῖ.
 ἔσθ' ἀρνησάμενος τὰ ἀρχαῖα τῶ ἀνεύματου. i. e. Qui non credit Evangelio,
 nihil ceterorum credit. Nec enim spiritui debent archiva preferri. Quæ
 observanda sunt contra *σπεκλόματα* Baronii annal. 109. §. 24. Et hæ-
 reticos illius temporis, quos castigant Irenæ. lib. I. c. 26. III. c. 11. Eu-
 feb. lib. III. hist. Eccles. c. 21. IV. 27. Epiphani. hæres. 30. 41. 42. 51. 76.
 vide Bell. lib. I. de V. D. c. 6. *Judeos*, August. lib. I. de conf. Evangg. c. 7.
 8. XXXII. contra Faust. c. 16. 21. XXXIII. 7. solutis Manichæorum
 objectionibus. XXII. 60. 62. seqq. *Gentiles* Origen. contra Cels. lib. I.
 p. 5. V. 231. VI. 275. seqq. Sunt autē inter hos alii libri Protocanonici,
 alii Deuterocanonici; De illis nunquam, de his quoad auctores
 secundarios aliquandiu est dubitatum. Hi sunt epistola ad He-
 bræos, Jacobi, 2 Petri, 2 & 3. Johannis, Judæ, & Apocalypsis Jo-
 hannæa. Illi sunt reliqui. Omnes tamen tam hi quam illi ἀξιοπίστοι.

§. 2. Tria hujus seculi scripta occurrunt, quæ genuina esse vi-
 dentur, si pauca irreptitia demas. *Barnabæ* epistola, olim laudata ab
 Origine lib. I. contra Cels. p. 49. an quæ inter Apocryphas relata ab
 Hieron. d. script. Eccles. tit. Barnabas? & è tenebris nuper eruta no-
 titis illustrata ab Hugone Menardo Paris. 1645. edente Luca Da-
 chero congregationis S. Mauri in Gallia. vide Dn. D. Calov. confess.
 Martyr. sect. I. c. 1. p. 10. *Clementis Romani* prior ad *Corinthios*. Hanc
 à vetustissimis Patrum celebratam diuque desideratam Patricius
 Junius Bibliothecarius Regius in Anglia à Cyrillo Patriarcha
 Const. acceptam tandem edidit anno 1633. probatam Dn. D. Dann-
 havv. Christ. VIII. p. 277. confer tamen quæ addit p. 1042. *Ignatii*
 ad Trallenses, Philadelphenses, Polycarpum, Romanos, Magne-
 sios, Smyrnenfes, & Ephesios. Has genuinas putant. Non tamen
 ex asse. Nam quædam ex Constitutionibus, quas Apostolicas vo-
 cant, irreperunt; quædam desiderantur: potissimam partem cæ-
 teras adulterinas, quæ sunt ad Mariam Cassoboliten, Tarsenses,
 Philippenses, Antiochenses, Heronem. Controversia de illis nata
 est inter Episcopales Anglos, & Presbyterianos acerrima, dum il-
 li pro antiqua Episcoporum dignitate & eminentia præ Presbyte-
 ris & Diaconis, allegarent testimonia Ignatii, in fasciculum colle-
 cta ab

Ecclesiastici
 genuini.

Sta ab Henrico Hammondo differt. 2. de Episc. c. 26. Hi contra
 fidem epistolarum istarum convellerent, quod fecerunt Salmasius
 potissimum, & Blondellus. Confer Montac. t. I. orig. ad an. 35. §. 31.
 Dn. D. Dannh. Christof. p. 12. Christeid. phæn. VIII. p. 284. D. Ca-
 lov. Conf. Mart. sect. 3. §. 5.

§. 3. *Adulterini* factus sunt, qui vel ipsi Salvatore nostro, vel
 Apostolis, vel Apostolicis viris ab Hæreticis, juxta Const. Apost. I.
 6. c. 16. Epiph. hæres. 40. affinguntur. Potissimam eorum par-
 tem notavit doctissimus Pontifex Gelasius in Concilio Romano ex
 eruditissimis, iudice Isidoro, Episcopis congregato. Nominat au-
 tem *Adus* Supposititios Andrea, Philippi, Petri, Thomæ, Aposto-
 lorum, Teclæ, & Pauli. *Evangelia* adulterina e. g. Barnabæ, Bartho-
 lomæi, Andrea, Luciani, Hyrcii. *Epistolas* spurias e. g. Jesu ad Ab-
 garum: & alia, ut itinerarium Petri, narrationem de Salvatore in-
 fantia, & nativitate, & obstetrice; de S. Maria ejusque transitu, Pa-
 storem, revelationem Pauli, Thomæ & Stephani; Apostolorum
 sortes & canones. *Addi* possunt *Evangelia* Hebræorum, Ebionita-
 rum, Encratitarum, Nazarenorum, Judæ, & Ægyptiorum. vide
 Sixt. Senens. lib. 2. Bibl. p. 81. Vofs. d. script. Græc. lib. 2. c. 9. *Epistola*
 Pilati ad Tiberium, Lentuli, Pauli ad Senecam & contra, ad Laodi-
 censes; vide Biscol. epit. an. 60. Clementis ad Jacobum & alios,
 B. Virginis ad diversos, decretales Pontificum; Polycarpi ad Phi-
 lippenses, Martialis Lemovicensis ad Burdegalenses & Tolosanos;
Liturgia Jacobi, Petri, Matthæi, Marci, Nicomedis, Barnabæ, alio-
 rum. *Narrationes* Marci de passione Barnabæ, Abdiæ de vitis Apo-
 stolorum, Prochori, & Lini, Presbyterorum Achaïæ de passione
 Andrea, Polycratis de vita Timothei, Disputationis Petri cum A-
 ptonæ & alia Clementis Romani; Dionysii Areopagitæ opera, E-
 vodii Antiocheni Lumen, cujus meminit Montac. t. I. Orig. §. 79.
 exerc. 7. Analect. sect. 3.

§. 4. Horum scriptorum vel auctores fictitii sunt, vel mate-
 ria *νικησάμενος*. De plerisque fatentur ipsi Pontificii. Quædam ta-
 men defendunt quidam, quod videant ea facere nonnunquam ad
 suam causam contra nos agendam, e. g. *Liturgias* Pamelius, Clau-
 dius de Sainctes, Leo Allatus, Nihulius. *Canones* Apostolorum
 Franciscus Turrianus iusto libro, idem Decretales tuctur. *Dio-
 nysio*

A 2

Dio-
 nysio

INDEX

Personarum & rerum memorabilium, ubi numerus prior seculum, posterior paginam notat, custodibus litteris in gratiam numerorum, vitiosè repetitorum, positus.

A bilius 1, 23.
 Absentibus Eucharistia missa 2, 282.
 2, 322.
 Absoluti decreti refutatio 1, 175.
 2, 307.
 Absolutio & receptio in Ecclesiam 3, 841.
 Abstinentia ciborum libertati Christianæ iniqua 1, 71.
 Acciones Forenses, persecutionum modus 3, 894.
 Acoluthorum officium 3, 539. ordo novitius 1, 161. 173.
 Actus supposititii 1, 3.
 Adamianorum hæresis 2, 366. ejus auctor, errores, nomen, sacra ib. & seqq.
 Adiphora à necessariis non distincta 2, 348.
 Adjectio S. literis contraria 3, 641.
 Administrantia dona. 1, 81.
 Admiranda Ecclesiastica 2, 454. & seq. *Ενεργήματα* 1, 178-181. eorum finis 2, 314.
 Adoratio panis Eucharistiæ pontificia, notata 3, 1025. versus orientem, idololatriæ suspecta 3, 879.
 Adventus 1, 26. Christi duplex 3, 740.
 Adversarii ipsi Christi divinitatis testes 3, 719. & seq. eorum infelix exitus, an Ecclesiæ npta 3, 835.
 Aegrorum cura 2, 329. afflictorumque aliorum visitationes 1, 73.
 Egyptii Episcopi 3, 587.
 Esculapius an miracula ediderit? 1, 156.
 Ætas in Ministris Ecclesiæ quomodo respecta? 3, 520. 522.
 Æternitas Dei 2, 241. Filii Dei 3, 673.
 Affectiones humanæ, Christi humanam naturam evincunt 3, 723.
 Afri Episcopi 3, 587.
 Afrodisius 1, 26.
 Agapæ Christianorum 1, 28. earum celebratio 3, 837.
 Alanus Copus vapulat circa ritus coenæ 1, 68.
 Alcibiades Hæreticus. 2, 393. ejus jejunium erroneum 2, 299.
 Alexandri ætas, scripta, elogia 3, 489. epistolæ 2, 199.
 Alexandrini Episcopi 2, 208. 3, 585.
Ἀποστρεψιασμοῦ fugienda 3, 565.
 Alogianorum vel Alogorum hæresis 2, 403.
 Amanuensium Apostolicorum usus 1, 61.
 Ambitio, hæreseos mater 2, 316. 368.
 Ambrosii ætas 3, 485. scripta, judicia 486.
 Ammonii ætas, scripta, elogium 3, 477. & seq.
 Amplitudo non est Ecclesiæ nota. 3, 830. 1058. non convertitur cum veritate ejus 1, 154.
 Anabaptistarum elenehus 3, 1077. & seq.
 Anacleti epistolæ 2, 199.
Ἀναγνώσεων 2, 320.
Ἀναγνώσεων 1, 60.
 Anathematis usus 3, 923.
 Anatoliæ ætas, scripta, elogia 3, 503.
 Andreæ Actus 1, 3. Evangelium ibid. Ange-

INDEX

Angelicorum Hæreticorum ætas, nomen, error. 3, 945.
 Angliæ ad Christianismum conversio 2, 334.
 ANGELUS Christi nomen 3, 715. legis promulgator, an fuerit creatus? 2.
 Angeli creati 1, 33. creaturarum nobilissimæ 3, 700. creationis & providentiæ divinæ objectum 2, 247. an sensa cordis & futura contingentia sciant? 3, 703. non sunt principium fidei 3, 611. non adorandi 3, 711. mali non metuendi 3, 711. eorum cultus unde? 1, 102. idololatricus 3, 784. affertus 3, 980. notatus 3, 982. quæ distinctio, contra Pontif. 3, 989. divisio 2, 247. 3, 701. & seq. essentia 3, 701. existentia 3, 700. intercessio asserta 3, 985. negata 3, 986 & seqq. opera 3, 702. ordines 1, 33-164.
 Angelis creatio adscripta 1, 96. 108. 2, 379.
 de Angelis errores Valentinianorum 2, 370.
Ἀγγελολατρεία Pontificiorum notata 3, 962.
 Aniceti epistolæ 2, 199.
 ANIMA an resurrectura sit? 3, 812. ejus immortalitas 2, 391. probata & vindicata 2, 259. 3, 811. inspiratio 3, 705. tradux 3, 706. & seqq.
 Animarum de statu post mortem variæ partium sententiæ 3, 1050 & seqq.
Ἀνισογενεῖα de Templis 1, 173. Simone Mago 1, 174.
 Annianus 1, 23.
 Anterus, Episcopus Romanus 3, 577. ejus scriptum 3, 489.
ἈΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑ 1, 39. 2, kk 3. b. & seqq. 3, 742. & seqq. erronea hæreticorum 3, 957.
 Basilidianorum 1, 97. Pseudoapostolorum 1, 99. Cerentianorum 1, 103. Ebionæorum 1, 105. Nicolaitarum 1, 108. Gnosticorum 1, 110. Judaismi 1, 122. Patrum 2, 340 & seqq. Carpocratianorum 2, 364. Valentinianorum 2, 372. Manichæorum, 3, 934. & seqq. Pontificiorum 3, 989. & seqq. 3, 990. & seqq. Veterum 3, 868. Simonianorum 1, 93.
 ANTICHRISTVS, communis Ecclesiæ hostis 2, 318. vox ib. dudum venit 2, 334. num Papa sit, ventilatum 3, 1062-1065. ejus descriptio 2, 318. notæ 2, 448. requisita 3, 1062. ortus an è tribu Dan? 3, 1062. & seqq. tempus 2, 319. vetustas 2, 318.
 Antiocheni episcopi. 2, 207. 3, 583. & seqq. eorum errores, contra Pontif. 3, 585.
 Antiochenorum Symbolum 3, 644.
 Antiqua cum doctrina conspiratio Ecclesiæ veritatem non infert 1, 155.
 Antiquarii notati 3, 879.
 ANTIQUITAS commendata 3, 1079. arguit scripturæ *θεογνωστίας* 2, 226. religionis, non involvit veritatem ejusdem 1, 154. non est Ecclesiæ nota, contr. Pontif. 3, 828. & seqq. 1058. non fidei principium 3, 603. 607. 622. & seqq. ejus vani jactatores, Pontificii 3, 605. & seqq. valor & honor ib. & 622. & seqq.
 Antistites 2, 277. Eccles. Ministri 3, 513. eorum munus 2, 212.
 Antitactæ hæretici 2, 379.
 Antithesis ignorantia, indecora 3, 645. nec tamen ipsa aded necessario ac thesis 2, 292.
 Antoninus Pius Christianos ab atheismo absolvens 1, 150.
 Apelles hæreticus 2, 385.
Ἀφορισμοῦ ἠκατάργησις & πανταπόση ἐκκοπή distinctio 1, 29.
 Apionis ætas & scriptum 3, 469.
 Apocryphi libri quinam 2, 418. & seqq. 3, 969. seq. olim ii, qui & hodiè, orthodoxis. 2, 227. eorum nulla inter Canonicos Constit. 1, 60.
 Apost. mentio 1, 60.
 Apollinariæ ætas scripta, 2, 189. elogia, differentia. seqq.
 Apollonii ætas, scripta, distinctio 2, 197.
 Apologiæ, persecutionum remedium 3, 908. earum vis & usus 2, 359. 3, 903.
 Apostasia Patrum 3, 877. & seqq. persecutionum effectus 3, 900. prohibita 3, 788. eâ immunes Christiani 1, 151.
 Apostata cur & eximii viri? 2, 409. non sunt SSSSS 3

I N D E X

funt fidei principium 3, 612. & seq. eorum Christianorum occasiones 2, 349. poenae ib.

APOSTOLI sunt Presbyteri 1, 12. Divinitus inspirati 3, 625. Galilaei cur dicti 1, 18. nominibus distincti ib. à reliquis Ecclesiae ministris differunt 1, 9. quomodo cunctos verbum Dei docuerint 1, 18. eorum & *ἁγίων* 1, 143. 2, 223. charismata 1, 10. elogia ibid. functio 1, 9. inauguratio 1, 7. ministerium 1, 144. ortus inglorius 1, 18. 143. praedicatio divinitus benedicta 1, 129. seminarium, 1, 20. vocatio 1, 9. 41.

Apostolicae Ecclesiae quanam? 3, 824.

Apostoloci haeretici 2, 391.

Apostolici viri quinam? 1, 19.

Apostolicarum Constitutionum valor 1, 163. vitarum notati scriptores 1, 19.

Apparationes in V. T. Filii Dei 3, 675. De sanctorum notatae, contra Pontif. 3, 1053.

Appellationes ad Pontifices Romanos non auferunt auctoritatem: in reliquos episcopos 3, 1008.

Aquarii haeretici 2, 391.

Aquae infusio pontificia, notata 3, 1022. mixtura in Eucharistia cur instituta & an necessaria 2, 277. usurpata 3, 805. usus in Eucharistia notatus 3, 871.

Ara primogeniti Dei 1, 178.

Arae proprie sic dictae an Christianis fuerint? 3, 1026.

Aquilae versio Bibliorum 2, 234.

Arabes Episcopi 3, 588.

Arabiani aetas & scriptum 3, 469.

Arabiani haeretici 3, 915.

Arbor scientiae boni & mali cur posita? 2, 257.

Archelai aetas, scriptum, iudicium 3, 503.

Archiva Romanorum 1, 5.

Archontici haeretici 2, 375.

Arelatensis Episcopus 1, 26.

Argumenta ab argumentorum agnitione distincta 3, 624. *ἡ ἀληθεία* & *ἡ ἀνθρώπων* distinguenda 3, 613.

Arnobii aetas, scripta, elogia 3, 507. & seq.

Artemon haereticus 3, 403.

Artemonitae haeretici 2, 404. an eruditione & antiquitate praestantes? ib. & seq.

Ascensio Christi 3, 709.

Asclepiades, Episcopus Antiochenus 3, 584.

Asia primò Evangelica luce perlustrata 1, 79.

Asiatici Episcopi 2, 208.

Asiaticarum Ecclesiarum inspector 1, 24.

Asinini cultus cum Judaeis Christiani imitati 1, 151.

Asservatio Pontificia panis Eucharistici, notata 3, 1025.

Assistentia divina persecutionum remedium 3, 909.

Assensus fidei actus 1, 42. 2, 292.

Astrologia 3, 709. curiosa interdita 3, 788.

Astrorum nulla in actiones morales vis 3, 780.

Atheistae subtiliores notati 3, 878. eorum de fidei principio exceptio 2, 614.

Athenagorae aetas, scripta, navi 2, 190. pro Christianis de unitate Dei apologia 1, 151.

Athenienses Episcopi 1, 25.

Ἄγιος subtilis 3, 783.

Attributa divina demonstrant Christi naturam divinam 3, 718.

Attributorum communicatio secundum genus primum 2, 255. secundum 3, 725. & seqq. 2, 256. tertium 2, 256. 3, 728. & seqq. 3, 727. & seq.

Auditores 1, 61. coeligunt ministros. 2, 203.

Avenionensis Episc. 1, 26.

Augustani Episcopi 3, 591.

Augustus improbatos sibi libros cremans 1, 132. nascenti Christo favens 1, 178. ejus census 1, 126. tabulae censuales 1, 5.

B.

Babylas, Episcopus Antiochenus 3, 584.

Bachylli aetas, scriptum, elogium, 3, 468.

Balnea publica cur olim vetita 3, 795.

BAPTISMUS Christi & Johannis, an realiter distincti? 2, 436. 3, 1018. Christi induendi organum, 1, 51. Haeticorum quorum vis, an legitimus? 3, 580. an ratus? 3, 869. Illuminatio. 1, 62. nulli loco aut tempori adstrictus 1, 65. an peccata omnimodo deleat? 3, 1019. ejus adjuncta 3, 662. 838. Administratio ad quem spectet 1, 62. 3, 524.

I N D E X

3, 524. quando laicis concessa 2, 211. Causae 3, 758. Corruptio 1, 110. Dilatio unde? 1, 90. Effectus in genere & specie 2, 273. 3, 760. 3, 1019. Efficacia 3, 762. Finis 3, 760. Forma 2, 273. 3, 760. Materia ex qua 2, 273. circa quam ib. coelestis 3, 759. terrena ib. Minister 2, 273. necessitas 2, 275. 3, 762. nomen 2, 273. 3, 758. objectum 1, 62. & seq. 2, 273. 3, 759. profanatio Valentianorum 2, 374. ritus substantiales & accidentales 1, 63. 2, 321. 3, 837. & seqq. tempus 3, 763. valor non ab administratore ejus 1, 62.

De Baptismo errores haeticorum. 2, 411. Calvinianorum 3, 1071. Manichaeorum 3, 935. Marcionitarum 2, 383. Patrum 3, 869. & seqq. Pontificiorum 2, 414. 3, 1071.

Baptismales Pontificiorum ceremoniae noviter inventae 2, 322. notatae 3, 1019.

Baptismalium rituum libera usurpatio 1, 64.

Baptizandi locus. 2, 176.

Baptizandi requisita 2, 274.

Baptizandorum unctio 1, 64. an alicujus efficaciae, & quare usitata. 1, 65.

Barchochab Pseudomessiae molimina 2, 455.

Bardefanis aetas & scripta 2, 193.

Barnabae epistola 1, 2. Evangelium 1, 3.

Baronius sua ipsius sententia stultus 2, 294. ejus in Lutheranos injuria 1, 172.

Bartholomaei Evangelium, 1, 3.

Baruch an liber Apocryphus? 2, 419. 3, 970.

BASILIDES Asturicensis Episcopus, *πρόδικος* 3, 588.

Basilides haereticus 1, 79. & seq. ejus adversarii 1, 99. affecta ibid. errores 1, 79-99. & Pontificiorum parallelismus 1, 101.

Battalogia Pontificiorum notata. 3, 1038.

Bavari Episcopi 3, 591.

BEATITUDO Dei 2, 245. 3, 689.

Beatitudinis aeternae descriptio 2, 306.

Bellum an omne illicitum? 3, 1177. & seq.

Benedictionum Papisticarum descriptio & examinatio 3, 1048. & seq.

Beneficentia Christiana se ad mortuos ac Gentiles porrigens 1, 74. mutua 1, 73.

Beneficia bene collata 1, 74.

Berylli aetas, scripta, elogia 3, 486. Berylliani haeretici 3, 914.

Bestiae, virtutum expertes. 3, 781.

Bibliothecae 3, 640.

Bigamus on Ministerii incapax? 1, 160.

Biathanati qui 2, 354.

Bifonticenses Episcopi 1, 26. 3, 591.

Bitterrenses Episc. 1, 26.

Bituricensis Episc. ibid.

Blasphemia Dei prohibita 3, 788.

Blasphus ex orthodoxo haereticus 2, 376.

Bonorum ablatio, persecutionum modus 3, 893. & seq. proprietates vindicata 3, 800.

BONA OPERA, fidei signa, non justificant 3, 772. & seqq.

Bonis operibus an mereamur sive ex congruo sive ex condigno? 3, 1033. & seqq.

Bonitas Dei 2, 242. 3, 692. & seq. imaginis Divinae, 2, kk 4. a.

Britanniae Paulus primum evangelizavit 1, 27.

Britanni Episcopi 3, 592.

Britannorum conversorum initia 1, 27.

C.

Caesar Pontifici non subiectus 3, 792.

Cajanorum haereticus 2, 378. errores ib.

Cajus vel Gajus, Episcopus Romanus 3, 582. ejus scripta 3, 501.

Cain nimis honoratus 2, 378.

Calamitatum publicarum causae 1, 153.

Calicis usus omnibus merito communis 1, 45.

Caligula, Judaeorum & forte Christianorum persecutor 1, 84.

Callistus, Episcopus Romanus 3, 576. ejus aetas & scripta 3, 476.

CALVINIANORUM Elenchus 1, 174. & seq. 2, 448. & seqq. 3, 1066.

Calvinianorum circa S. Coenam error jam olim damnatus 1, 115. ac haeticorum quorundam parallelismus 3, 963.

Calumniae adversariorum in Christianos 3, 884. & seqq. persecutionum modus 3, 893.

Candidi aetas, scriptum, elogium 3, 469.

Canisii temerarium additamentum. 1, 169. Canon.

Errata.

Ubi p. principium. m. medium. f. finem paginae notat.

Pagin. 8. f. subjectum lege suspectum 41. p. aliquot-aliquod 101. p. viderunt-vi-
detint 112. f. ille vel-illae vel 134. m. privativè non-vivum-non vivus Amphiarus-Amphiar-
raus 142. p. sancta-sanctus 146. m. Oreligio-O. religio. 147. p. Odoctrina-O. doctrina f. pul-
erum-fulcrum 160. f. Liturgia explicare-Liturgiam explicare. 169. addidamentum-addi-
tamentum 172. m. obligantur-obligentur 173. p. ceroferos-ceroferos 207. trucidatis-
trucidatis 248. f. § 62- 868. 249. f. incogruis- incongruis 283. p. Domini Domini 291. f.
cordo-corde 300. m. jun&ca- juncta 350. accelebranda-acceleranda 351. Gnos, siorum-
Gnos, siorum 362. Theotus-Theodotus 365. m. ortum-orti 391. f. 62-61. 394. f. peccaretur-
peccaret 395. m. Catholicus-Catholicos 403. m. tanum-tantum 410. p. Colorbatus-Color-
batus 423. f. conlanat-consonat 430. m. art. 16-act. 16. 436. f. at-aut 438. m. vocant, - vo-
cant 439. m. & recuperandam-ad recup. 444. m. *adde in margine* Be ad auctoritatem 445. p.
adde in margine Indeficibilitatem 446. p. auctoribus denominantur. *inserere*, f. alius-unius
455. m. *adde in margine* Ostenta 462. m. demum, *adde* editioni f. additas-additum 474.
p. Cæciliani Cæcilii 490. f. XVIII- VIII. 507. p. Martyris- Martyres 540. m. adurantur-
adurantur 542. m. poverint-potuerint 571. m. in Ecclelesiarum-Ecclelesiarum 602. m. inter-ad
614. m. *dele* sermonem divinum 627. p. reliquia-reliqua 633. p. scripturæ V-script. S. 643.
m. Tertullianii-Tertulliani 645. p. veto-verò 683. f. quia-qua 685. m. cogentur-videren-
tur 724. p. destituta-destitutam 728. m. concreto naturæ-personæ 736. m. Ægyptii-Ægy-
pti 741. m. quatruplicem-quadruplicem 748. f. promissimus-præmissimus 771. quam quos-
quas 812. m. quo est idem-; quo, est idem 827. f. c. 31-c. 30. 831. p. *adde in margine* Succel-
sio 876. f. alioquin refert circumspetus in suis relationibus-alioquin circumspetus in suis
relationibus refert. 881. 881. f. ciffos-sciffos. 884. dispendiore dimendum-dispendio redi-
mendum. 912. f. Euseb.- Ecclef. 948. f. convuantibus-convitiantibus 969. m. disputant-
disputent. 985. f. Potamina-Potamiæna 1000. f. Pupianum-Pupienum esse-esset 1035.
p. di-scuffis-dif-cuffis.

LAPSUS ADAMI

EXERCITATIONIBUS ACADEMICIS

repræsentatus


à

CHRISTOPHORO Wolfflin/
Theol. D. & P. P.

TUBINGÆ,
Impensis JOHANNIS GEORGI COTTÆ,

Literis Kernerianis, 1669.

I.



Exercitatio I.

DE LAPSU ADAMI.

Resp. M. Gothofredo Kuharst, Stuttgardiano.

Thesis I.



Uo nobilior & illustrior olim erat *Theologia* supralapsaria, comparata ad cognitionem, quæ post lapsum obtinet, *subjectivè*; eo contractior fuit *objectivè*, non in tam diffusum systema excrecens, neq; in tot locos dispescenda. In *Compendium* tum omnia facile potuissent redigi, siquidem præter articulos de SS. Trinitate, creatione, & providentiâ divinâ, circa hominem non nisi duo status fuissent expendendi, status scil. *Concreata innocentia*, & *futura glorificationis*. At post lapsum auctus est numerus eorum, quæ ad salutem scitu, & credita necessaria sunt, excrevit in *volumen* *Theologia*, postquam status *desertus*, & *restauratus* accesserunt. Dedit augmento isthuc occasionem *defectio Adami*, quæ totum genus humanum in miserabilem conditionem dejecit, quam tamen misertus Deus optimus *media*, quibus instaurari posset, quod perierat, ab æterno destinavit. Est inde oppositio *primi & secundi Adami*, quorum ille omnia perdidit, iste omnia restituit; Sunt inde loci de *peccato*, ejusque *pœnis*, de *de gratiâ Dei*, de *Christo*, *Evangelio*, *fide*, *sacramentis*, &c. Defectionem hanc, quæ adeo immutavit faciem totius naturæ, aliquot exercitationibus contemplantur, non ut mingamus in cineres primorum parentum, nolumus enim nostram facere impietatem *Chami*, nuditatem parentis nefariè propalantis, sed ut ob communem culpam, & miseriam ingemiscamus, propriæ infelicitatis conscientiam compuncti.

II.

De lapsu itaque primorum nostrorum Parentum, tanquam *Peccato originante*, acturi, primò omnium expendemus *Causam* ejus *Efficientem*.

cientem, ut quo auctore tanta malorum Illas in mundum sit inuenta, pateat; cumque tractatio hujus materie duplici modo possit institui, tum per remotionem *Causa fictitia*: tum per positionem *Causa vera & genuina*, hâc vice viam sternemus ad *ἀπορίαν*, visuri, an, & quanam hodie sint, qui Deum ipsum, in specie primi illius peccati Authorem, vi suarum hypotheseων, & si non explicitè, tamen implicitè per justam consequentiam statuere videantur. Et sane operæ pretium est, antequam descendamus ad delineationem transgressionis paradisiacæ, prospicere, ne excusationem pravitatis suæ captare possit malitia à quocumq; *prætextu*, maxime cum videamus carnem inhiare subterfugiis omnibus, quibus utcumque derivati alio à se malorum suorum culpam existimat, quâ de causâ non abs re monet Calvinus l. 1. Instit. c. 15. *huic malitia diligenter obviandum, calamitatemq; humani generis ita tractandam esse, ut praevidetur omnis tergiversatio, & justitia Dei ab omni insimulatione vindicetur.*

III

Non autem diutiùs immorabimur recensendis veterum hæreticorum deliriis, non deliquis *Hermogenianorum*, stantentium, non quidem à Deo, sed à *materia*, ut omnia mala, ita & lapsum dependere, quam materiam non à Deo, sed eidem *coeternam* esse fabulati sunt, quo ipso reputantes se sapientes, stulti facti sunt, ut *D. Paulus* aliàs de gentibus loquitur; Si enim à *materia* ortum habet malum culpæ, eo ipso erit à Deo, materia enim non dependens à Deo, sed eidem *coeterna*, est putum figmentum; quo studiosius itaque *Hermogenes* laboravit, ut Deum eximeret ab omni culpâ, eo incantiùs illum culpæ implicavit. Recidit n. in contumeliam creatoris, si quid vitii inesse naturæ probatur. Videatur *Tertullianus*, qui scripsit contra *Hermogenem*; refutandi hujus erroris occasionem nobis infra suppeditabunt *Pontificij*.

IV.

Nec multum temporis dabimus proscriptæ dudum *Manicheorum* hæresi, fingentium præter Bonum, alium Deum, qui non solam in se malus, sed & omnis mali in mundo sit Author, quasi non posset malum vel fieri, vel existere, non præexistente aliquo Numine malo, tanquam primo principio omnis malitiæ. Quamvis autem *Manicheorum* error nullum fundat Manna, quod vi nominis sibi impositi facere videri volunt, tolerabilior tamen videtur illâ opinione, quæ, ut ut unum sal-

cent,

tem, eumque sanctum, & Bonum Deum præsupponat, vi tamen fundamentorum suorum, omnem mali originem *sanctissimo Num. ni* transcribit.

V.

Qui *Reformati* vocantur, publico decreto in Synodo Dordrace-nea artic. 15. de prædestinat. sanxerunt, Deum peccati Authorem constituere, cogitatu blasphemum esse; Utinam hoc ubique observarent, & non talia docerent, ex quibus, non per operosos aut malitiosos Consequentiarum nexus, quos excerptis istis adjungi *Voëtius* conqueritur, sed per justam consequentiam criminis illius rei agi, & convinci possent! Nos ad tria capita reducemus, quæ ex parte *Reformatorum*, si non omnium, tamen potiorum, Deum in specie Authorem primi peccati, & lapsus primorum parentum facere videntur.

VI.

Primum est *divina prædeterminatio*, quæ ipsis communis est cum *Dominicanis*, ab aliis dicta *præcursor*, ut à concursu simultaneo distinguatur, aliis *pramotio*, excitatio, & applicatio ad agendum, quâ Deus præviâ motione physicâ determinare dicitur voluntatem creatam ad omnes, & singulos suos actus. *Amicus* p. 46. med. Theol. hac de re sic sentit; *Gubernationis divina vi causa omnes secunda aliquo modo prædeterminantur, id est, 1. excitantur ad agendum per influxum, aut motionem præviâ, quatenus ad producendum illud in actum, quod antea fuit in potentia creaturæ (præter communicationem virtutis, & ejus sustentationem) tale quid necessario requiritur. Andreas Essenius, Theolog. Ultraject. disp. 29. de prov. Creatura respectu actionis illius divina (pramotionis, excitationis, applicationis ad agendum, ac deinceps sustentationis, ac pramotionis in agendo) quatenus eam recipit, quatenus sic excitatur, applicatur, &c. habet se passivè, sed respectu actus habet se verè activè, est causa formaliter efficiens, ipsa simul tempore suo modo facultatem suam activam exerens, & applicans ad agendum, talemque effectum producendum. S. Rhetorfort. de prov. p. 520. Deus prædeterminat voluntates hominum ad actus Entitativos peccati, Deus est verè causa & quidem prima, & principalis actuum physicorum, quibus inseparabiliter annexa est malitia, & deordinatio.*

A 2

VII. Ta-

XXIII.

2. Arg. Quodcunque absque aliâ præsuppositâ revelatione, 1. Res maximâ probatione indigas nudâ proponētis auctoritate firmat; 2. Ab hominibus rerum, quas scripserunt, per se ignaris, & ob officium primitus detractatum, sed demum, etiam cum propriæ culpæ confessione, susceptum, omnem contemptum, ipsamque mortem animo benè composito sustinentibus, est adornatum; 3. Maxima mysteria, præcepta sanctissima, vaticinia nulli creato intellectui investigabilia, summo consensu, & sufficientiâ tractat; 4. Id facit magnâ gravitate, mirandâque simplicitate; & 5. viflecticordiâ penetrat, illud ipsum non potest non esse scriptum *Jeóvâ & gov.* Atqui Scripturæ collectivè sumptæ, absque aliâ præsuppositâ revelatione ita se habet, quoad enumerata singula membra,

XXIV.

3. Arg. Quicquid 1. materialiter, & à parte rei coincidit, & idem est cum Scripturâ; 2. Et ex parte conceptus nostri ad eandem se habet instar effectus adjuncti vel affectionis, id ipsum non generat saltem aliquam improbabilitatem, vel certitudinem conjecturalem, sed infallibilem fidem. Atqui Scripturæ Criteria ita se habent, &c. Ergò.

COROLLARIUM.

Augustana Confessione, que est liber nostrarum Ecclesiarum Symbolicus, non est subscribendum conditionatè, & hypotheticè, sed Categoricè.

F I N I S.





INDEX Materiarum in hisce Dissp. tractatarum

Dissp.

- I. Arg. de Causa lapsus primaria, eosque refutat qui hanc in Deum volunt. - - - pag. 2.*
- II. In quantum Pontificii quoque hoc statuunt. - - - 19.*
- III. Vera adferunt sententia, et aduersariorū tela in ipsos retrouent. - - - 39.*
- III. De Lege primis inis parenti b. data. - - - 67.*
- V. De Transgressione legis - - - 93.*
- VI. De Imputate peccati primorū hōrum oib. eorū posteris facta. - - - 117.*
- VII. De Effectu honoris huius transgressions. - 135.*
- VIII. De Derivacione huius effectus in posteris. - - 161.*
- IX. De Criteriis S. Script. - - - 192.*

Országos Rabbiképz - Zsidó Egyetem Könyvtára



Országos Rabbiképző - Zsidó Egyetem Könyvtára